



Conventiculum Viterbiense

a die 31 mensis Iulii ad diem 5 mensis Augusti
(sive a pridie Kal. Aug. ad Non. Aug.)



Ex consilio operis fundati c.n. [Europa Latina](#) indicimus *Conventiculum Viterbiense*, ad quod invitantur omnes litterarum Latinarum studiosi, sive ii magistri, sive discipuli sunt, sive per otium animique causa huic linguae student. Conventus celebrabitur a pridie Kalendas usque ad Nonas Augustas Viterbi, in aedibus Lycei *M. Buratti*. Participes cotidie scholas audient de eis scriptoribus, qui inde a Romanorum aetate usque ad tempora nostra situm Etruriae inferioris maximasque res, quae in agro Viterbiensi gestae sunt, Latina oratione descripserunt; multa insuper oppida praeclara visent, necnon aedes operaque summo artificio facta, quae eos admonebunt cum de nobilissimis Etruscorum Romanorumque antiquitatibus, tum etiam de rebus posterius in hac regione gestis: id enim propositum est, ut Viterbum, Tarquiniam, Tuscaniam, Villam Lantis lustremus singulaque de monumentis quae ibi sunt Latine exponamus. Huius conventus auctores id praeterea custodient, ut participes perpetuo ac fere sine intermissione Latine loquendi ac scribendi facultate exerceantur: quem ad finem scholae, peregrinationes, ceteraque omnia quae per illos dies instituentur nonnisi sermone Latino habebuntur.